



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1658

§. 49. Erat autem cum eis & Petrus stans. v. 18.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

flagrarem! quam beatum me dicerem? Domine qui potes omnia, da gratiam, ut toto semper corde ardeam tuo sancto amore & inardescam magis magisque indies ut totus ex eo consumar.

§. 49. *Erāt autem cum eis & Petrus stans. v. 18.*

Iam Petrus in aulam Pontificiam erat inductus ut deficiente Pontificatu veteris Test. esset ad manum capurus possessionem vacantis officij & bonorum ei annexorū ac iurium. Sed iste novus aulicus in uno turpiter deliquit quod se non Dominis sed ministris aulae aggregavit ad prunas ubi solent sepius esse scurræ, nihil scientes de Deo nihil curantes de amore Dei, omnem suam felicitatem ponentes in carnalibus iocis, amore, & teram terrenarum affectu, & perversi, ita ut periculum sit ne Petrus ab eis pervertatur & frigidus fiat ut ipsi erant in amore Dei frigidi, imo ut penitus totus frige factus defecisset plane à Deo suo nisi eum postea benigne respexisset magister suus & ei animum reddidisset. Veruntamen in Annæ aula adhuc salvus evasit, quia nullam in ea negationem video nisi eam quam ostiariae dixit sat obscuram. *Non sum.* bene habet quod in ea non negavit quia discipulus bonus eum istuc introduxit.

Deus meus audivi à multis quod quando aliquis se non immisceat temere in negotia, sed quasi vocatur ad ea tractanda, quod tunc talē Deus maiore cura & providentia gubernet; & credo sane ita esse quia video Petrum Apostolum tuum in Annæ aula in quam introductus erat à discipulo suo noto Pontifici satis secunde agentem & vix negantem ea spe eie quæ necessitas involvat peccatum.

Oro igitur te Domine, ut gratiam istam des hominibus ne se temere in negotia immergant antequam vocentur.

§. 50. *Et calefaciens. v. 18.*

Dum ad ignem exteriorē accedit Petrus cum ministris, sensim in eo ignis interior charitatis deferveat; nam ibi mendacia audiebantur, iniuriis alter alterum famulorum lacebatur. ibi periuria, cachinationes, lasciva verba super numerum, colloquia prava cum ancillis & quorum auditu depravabantur mores honesti Petri, ut sui oblivesceretur & Domini. quapropter S. Maximus dicit, peccatum Petri & Adæ similitudinem quandam habere: utrobique Diabolus & vir & mulier illa Adamo, hæc Petro mortis ianuiam aperiens utraque instrumentum Diaboli ad fortes columnas everte ndas: illa per petitionem iniquam; hæc per interrogationem sacrilegam.

Domini